DE ECLAMPSIA INFANTUM DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Luigi medico Zanchi (medico), Theodore Helm



DE

ECLAMPSIA INFANTUM

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D. DOCTORE THEODORO HELM

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. P. O. Directore Nosocomii Universalis etc. etc.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Januarii 1845

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFERERAT

ZANCHI ALOYSIUS

BERGOMENSIS.

TICINI REGII

Ex Typographia Fusi et Socii.



ALL' AMATISSIMO ZIO

Rocco Prata

OTTIMO PER COLTA MENTE

INDOLE BENEFICA

PEGNO DI STIMA ED AFFETTO

QUESTO TENUE LAVORO

INTITOLA L' AUTORE

DEFINITIO.

Eclampsiae nomine venit morbum illud nervosum infantibus puerisque infensum, quod manifestatur convulsionibus universalibus conscientiae abolitione et per accessus recurrit.

Morbus hic infantes vel ex improviso adoritur, vel prodromis quibusdam symptomatibus se se annnntiat. Prodroma haec quandoque per pauca solum minuta, alias per horas, per dies quandoque durantia adnotantur: inquietudo, pervigilium, ejulatus, adpetitus imminutus, nausea, vomitus aliquando, subinde tormina, diarrhoea cum excrementis viridibus vel nigricantibus, nonnulla vice alvus obstipata, temperatura universalis adaucta vel imminuta. Cutis color a normali aberrans, singularis pallor, interdum rubor et turgor praeprimis faciei.

Pluries vero Eclampsia infantem vel puerum corripit de repente quin prodroma antecedant, et tunc motus involuntarii convulsivi, musculorum faciei, palpebrarum et maxillae inferioris observantur et spuma exprimitur inter labia oris. Exagitantur musculi extremitatum tam superiorum quam inferiorum, corripiuntur spasmis et illi dorsi, ideo corpus omne vario contorquetur modo. Respiratio evadit strepitosa anhelosa et non raro involuntarie et inscie exclamant et ejulant. Visus, auditus, tactus torpent tali modo, ut nihil videant, nil audiant, nihil persentiant. Universa cutis illa praecipue faciei sub convulsionis accessu ruberrima evadit, subinde livida, saepe tamen ubi insultus per aliquot protrahitur tempus cutis pallescit ac si corpus sistat exsangue. Non raro sub circumstantiis hujuscemodi involuntaria contingit evacuatio urinae alvique excretio.

Talis perdurat insultus quandoque tantum per pauca minuta, saepe per horae quadrantes, per horas aliquando, imo per diem, duos tresve, ita ut spasmi remittant quidem et penitus sileant, verum rursus revertantur et corpus exagitent tenellum. Interdum unum solummodo exagitatur corporis latus alterum immobile quasi paralyticum. Evanito convul-

sionis accessu plurimi infantes in soporem incidunt per horas nonnullas, dein ad mentem redacti ignorantiam de eventu ostendere videntur.

CAUSÆ.

Inter causas Eclampsiae disponentes, omnium Medicorum consensu sequentes numerantur. Dispositio quaedam haereditaria a parente alterutro spasmis hystericis vel epilepsiae obnoxio. Alias Parentibus caeteroquin sanis, per influxus noxios in Matrem tempore gestationis agentes, imprimitur Fetui dispositio ad Eclampsiam. Inter hujuscemodi influxus animi pathemata peculiarem merentur considerationem, nec non improvisae sensationes a terrore inductae.

Peculiaris porro natura ad hunc morbum observatur dentitionis periodo, quo tempore major sanguinis congestio in caput universum et encephalon locum habet. Eclampsia autem semel exantlata, dispositionem in eundem morbum relinquit.

Causae morbum hujusmodi excitantes multiplices evadunt. Frequenter saburra gastrica in infantibus Eclampsiam provocat. Sic in neonatis a meconio nimia quantitate retento morbus

dictus producitur. Ita lac maternum aut nutricis copia majori ingestum, adhuc frequentius lac corruptum sistit infantibus convulsionis causa. Corruptio vero lactis inducitur, nunc per cibos vel potus incongruos, quibus nutrix largiebatur, nunc per morbos in eadem evolutos, frequentius per animi adfectus vehementiores, praeprimis iram, per tristitiam etiam nec non per desideria non adimpleta. Lactis aberrans qualitas non semper sensibus agnoscenda, ventriculum adficit tenelli, et gastralgiam, enteralgiam, emesim, diarrhoeam, non modo inducit, verum etiam et convulsiones. Praeterea alimenta quaecumque salutaria licet, sed nimia quantitate ingesta, adhuc magis cibi duri, pingues, facultati digerenti obnoxii in praedispositis convulsionem inducunt. Subinde potus spirituosi eumdem provocant morbum, nec oblivioni sunt recensenda nonnulla pharmaca incaute exhibita uti hyosciamus, cicuta, belladonna, opium. Causa vero convulsionis frequentissima evadunt infantibus vermes intestinales, et quidem tam ascarides vermiculares ac lumbricoides quam taenia ipsa quae licet frequentius adultorum intestina inhabitet, tamen in infantibus etiam reperitur. Excitantur porro convulsiones per violentias mechanicas capiti

vel spinae dorsi illatas, per prolapsus per hernias per nimia profluvia. Causa evadit aliquando morbi istius refrigerium ipsum, animi quoque adfectus eundem habent effectum.

Sic observavit Tissot » infantem trium annorum ex ira epilepticum factum. Idem narrat de puero qui cum alios vidisset histrionum adinstar indutos, terrebatur, mox convulsionibus expertus in sommam incidit debilitatem per diarrhoeam effraenem supervenientem, tandem aliquot post dies convaluit ». Hoffmann hystoriam refert de puero, qui spectrum conspexisse cum crederet, ita perterritus fuit ut cadaveria adinstar humi procumberet, dein expertus, deliriis et maxima debilitate, quas convulsiones vehementes sequntae sunt vitam amisit. Wan-swieten infantem, dicit, quemdam, per canem eum adgredientem, ita stupefactum, ut mox convulsionibus laboraret per omnem canium latratum facillime revocandis.

Non raro Eclampsia infantilis symptomaticae excitatur uti febris intensioris continuae vel intermittentis symptoma. Saepissime sub stadio eruptionis variolarum, morbillorum et scarlatinae adparet, ita encephalitidis, myelitidis, hydrocephali, hydrorhachiae symptoma constituit.

Excitantur subinde convulsiones infantum antagonisticae metastaticae, erisipelatae, tinaea crusta lactea, cito evanitia.

Ex dictis hucusque, non difficile est intellectu differentias Eclampsiae ab auctoribus statutas, uti essent: Eclampsia protopathica, deuteropathica, gastrica saburralis, mucosa, biliosa, verminosa, inflammatoria, nervosa, sympathica, symptomatica, antagonistica.

PROGNOSIS.

Pro varia Eclampsiae natura, prognosis quoque variare debet. Generatim morbus iste pertimescendus, non paucos infantes spatio duodecim aut viginti quatuor horarum enecat. In cadaverum anatome utplurimum reperiuntur signa congestionis sanguineae in Encephalo, vel medulla spinali, nec non parva seri quantitas pariter in cavo cranii et specu vertebrarum. Non omnis tamen Eclampsiae species mortem inducit, imo causa excitante remota, per solas naturae vires non raro devincitur. Sed etiamsi infantes mortem evitare valeant, tamen Eclampsia devicta, sequitur non raro habitualis epilepsia quae dein saepe saepius omni rebellis est therapiae, et etiamsi debellatur pa-

ralyses relinquit atque imbecilitatem. Saepe tamen per therapiam rationalem Eclampsia infaotum felicem habet termioationem.

CURA.

Tempore insultus, vestimenta omnia corpus arctius constringentia, solvenda sunt, infans debito modo disponendus, ne forte e lecto excidat, aut per motus vehementiores convulsivos, aliquam laedat corporis partem. Deinde adstantium narratione, et congrua ntentes investigatione conamur, naturam morbi individualem defioire, et hinc adaeqnatam opponere medendi methodum. Si deglutitio plane esset interclusa ac nulla interne pharmaca suppeditari posseot, oura remediis tantummodo externe adplicitis, absolvi deberet.

Casibus in quibus ex symptomatibus et investigatione convincimur, causam proximam morbi, sanguinis esse in Encephalo congestionem aut medulla spinali, indicatio elucet ad hanc congestionem imminuendam. Quamobrem perutilis evadit frigoris adplicatio ad caput, et aeris respiratio liberi atque frigidiusculi, et noo raro hocce simplicissimo remedio, Eclampsia sub paroxysmo febrili, sub eruptione va-

riolarum et morbillorum incedens, feliciter evanescit.

Ubi morbus intensior manifestatur, depletio sanguinis indicatur tempore insultus instituenda, ope hirudinum ad regionem temporalem vel occipitalem, et saepissime tempore quo sugunt hirudines, jam spasmi remittunt jam disparent.

Cum vero tam ex symptomatibus quam ex indole potentiarum nocentium intelligimus, veram Eclampsiae causam esse, veram debilitatem erethisticam, tunc lintea calefacta fumo aromatico imbuta, erunt cuti adplicanda, et fomenta aromatico-vinosa cum spiritu aromatico, spiritu vini camphorato etc. praeprimis abdomini imponenda, et ipsum abdomen nec non spina dorsi unguentis stimulantibus est inungenda. Aetheres sulfurici, spiritus salis ammoniaci, balsamum quoque peruvianum optime ducunt. Ubi haec non sufficiant, ad sinapismos confugiendum, et clysmata ex infuso florum chamomillae, radicis valerianae sylvestris cum assa-foetida et spiritu cornu cervi. Si omnia quae diximus non valent convulsionem sistere vel imminuere, balneo tepido ex aqua communi, additis herbis aromaticis ac vino, per quadrantem horae infantem immitti, perutile conspexi.

Insultu superato, ad praecavendum reditum therapia pro diversitate causarum et diverso morbi charactere, diversa requiritur. Sic si causa spasmorum fuerit saburra vel in ventriculo vel in tubo intestinali ingenerata, evacuantia indicantur et antigastrica. Si Naturae viribus vomitum habemus vel diarrhoeam, evacuationes istae hoc casu minime supprimendae, coadjuvandae sunt potu tepidulo infusi florum tili atque verbasci; si natura infirma evadit, debemus pro diversa saburrarum ratione, vel purgantia vel emetica vel anthelmintica exhibere.

Dum indicatio pro emetico adest, pluribus in casibus tartarus stibii caeteris antecellit emeticis. Solvimus tunc granum unum in aqua distillatae uncia una, et cochlear cofeanum exhibemus omni quadrante horae donec vomitus exurgat. Saburram deorsum turgentem, quandoque jam clysmata evacuant. Adhibemus tunc aquam taepidam cum butyro, vel oleo, vel saccharo, vel mele, et his non sufficientibus addimus clysmati salem communem, vel anglicum. Sed frequentius purgantia interne sumpta magis praestant. Hoc scopo praescribimus infantibus syrupum cichorei cum rheo vel mannatum, et porrigimus omni hora co-

chlearia duo, donec binae terneve subsequantur evacuationes. Aetate majoribus, alvoque pertinaciter obstipata existente, quod frequenter evenit dum saburra mucosa et verminosa adest, purgantia conveniunt efficaciora. Sic folia sennae, arcanum duplicatum, radix jalappae et calomel forma et dosibus unicuique notis optime ducunt.

Non raro saburra licet evacuata, adhuc supermanet acidum primarum viarum, et tunc sic dicta absorbentia valdopere prosunt qualia essent: carbonates lixivae magnesiae et sodae. Postmodum ad secretiones viarum digerentium corrigendas et vim digestivam promovendam, amara remedia et aromatica, uti calamus aromaticus, cortex aurantiorum, semina foeniculi et anisi, perutilia sunt.

Quando morbus characterem ostendit energicum, superato etiam insultu, methodus antiphlogistica non negligenda, jam mitior jam intensior per circumstantia. Hinc praeter vitae regimen negativum, nitrum, cremorem tartari, tartarum tartarisatum, protocloruretum hydrargyri, nonnunquam et fomentorum frigidiorum, nec non hirudinum effectum ad mentem habere oportet.

Ubi Eclampsia per statum peculiariter abnormem systematis nervosi sustineatur, ibi sic dicta antispasmodica porrigenda sunt, quorum praecipua sequentia enumerantur: radix ipecacuanhae refracta dosi exbibita vel forma pulveris vel infusionis; flores zinci uti remedium antispasmodicum et anthelminticum, ad granum semis tenellis, ad grana duo et quatuor adultioribus exhibendum pro nycthemero. Radix valerianae sylvestris, quae gaudet virtute spasmos solvendi, et vermibus adversa. Spiritus cornu cervi simplex vel succinatus, ad guttas adhibitus, vel in connubio cum radice valerianae aut herba mentae. Radix artemisiae vulgaris vel pulvere vel infuso, et quandoque ex administratione hujusce pharmaci mirum habemus emolumentum. Sic Hufeland refert casum infantis dimidii anni qui jam per duos menses Eclampsia devexabatur rebelli omni medendi methodo jam exhibitae, tunc ex pulvere radicis artemisiae vulgaris, post aliquot dies evanuere omnia convulsionis symptomata, morbo non amplius recurrente.

Cortex aurantiorum, herba menthae crispae, flores chamomillae infusionis forma non raro benefice agunt. Assa foetida vitellum ovorum subacta in clysmate optimum sistit remedium.

Camphora et castoreum infusis utplurimum adduntur. Moschus, pharmacon pretiosissimum in Eclampsia infantum, princeps constituit remedium antispasmodicum, et mirabile evadit quod infantes magnam hujusce pharmaci dosim perferre valeant ita ot ad granum unum et ultra exhiberi possit omni bora.

Casibus specialioribus, narcotica etiam caute exhibita optime ducunt. Sic observatores de hyosciamo et opio.

Quando morbum nostrum convulsivum febres comitatur intermittentes, medendi methodus conveniens instituenda venit, et cortex peruvianus ejusque praeparata, hisce in casibus sunt consulenda. Porro diversi chininae sales uti sulfas, acetas, citras, magnam adferre possunt utilitatem, et diversimode cura confici potest, vel interne subministrando, vel methodo endermica, brachiis vel regioni epigastricae, dicta pharmaca adplicando.

Si vero Eclampsiam symptoma habemus alterius morbi gravioris uti encephalitidis, myelitidis, idrocephali, hydrorachiae, tunc morbus protopathicus principalem in cura requirit considerationem.

Sub reconvalescentia, ad morbi recidivam praecavendam, singularem attentionem requi-

runt caasae individuales, quae morbum vix exantlatum excitare valuerunt et hisce convenienti obveniendum est modo. Postea invigilet Medicus ut tractamen ulterius et vivendi genus, characteri morbi praegressi, complicationibus concomitantibus, et adfectionibus forsan relictis conveniens sit.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Sine china, opio, et mercurio nollem esse Medicum.

II.

Ventriloquos non ventre loqui.

III.

Haemoptoes diagnosim, interdum summe difficilem.

IV.

Praeparata Martis omnino deprimentia declaranda sunt.

V.

Frigus minime antisepticum sed deprimens.

VI.

Helminthiasim morbum in pueris frequentissimum.

VII.

Chlorosim, nisi lentam angyoitidem.